

raginem potius esse aliorum Scrip-
torum latinorum discas e *Fabricii*
Bibl. med. Lat. T. V. h. v.

VIII. fol. 128. *Stella Cleri-*
corum. Indicata saepe, ut Index
docet.

IX. fol. 150. p. 2. *Tractatus*
de Confessione, qui incipit: *Quo-*
niam circa confessionem sunt peri-
cula animarum — Ideo ego Inno-
cencius secundo nomine episcopus
— compilavi &c. Articulis XVI.
constat, quorum primus: *Quo*
tempore incepit confessio. Metho-
dus scholastica. Autor, mihi fal-
tem, ignotus.

CCIII.

VI. B. 19 Codex membraneus lat. Sec.
XI. Folior. 142. f. nitide scrip-

tus et rubricatus complectitur S.
Hilarii Pictavorum Antistitis, qui
Sec. IV. Latinorum primus cala-
mum in Arianos strinxit, *Opera*,
et quidem I. *Libros XII. de Tri-*
nitate. Praecedit *Hilarii* elogium
e variis Epistolarum *Hieronymi*
locis contextum hoc initio: *Quan-*
tus inter aecclesiasticos Scriptores
Catholicos et apostolicos doctores
Hylarius pictaviensis ecclesie pre-
sul effulsit. diuine legis singularis
interpres Hieronimus memorię fi-
delium commendare multipliciter
studuit &c. Sequitur *Carmen*, *Ve-*
nant. Fortunati quod, cum in edi-
tis Exemplaribus non inueniam,
huc transtuli, insertis coniecturis,
mutatoque distichorum ordine,
qui in *Cod.* perturbatus adparet.

Hylarium queris quis sit cognoscere lector.

Allobroges referunt. pictauos (Pictavis, Pictaui?) genitum.

Inprobus ut uidit plebes quod scinderet error.

Grecorum uiros (uirus) protulit in medium.

Vipereo promunt semper qui ex corde uenena.

Filius ut dicant. quia est creatura dei.

Quis (queis) magis auxilium prestat sapientia mundi.

De ingenito genitum. que negat esse deum.

Quam male complexus cupiens calcare prophetas.

Arrius infelix. cum retinet crepuit.

Egregius doctor. ueterum monumenta secutus.

Quem stephanus uidit. comprobat esse deum.

In patre qui (omni) potens deus est cognoscere natum

Diuinum tantum. uocibus insinuat.

Victus amore dei. contempto principe mundi.

Intemerata fides. pertulit exilium.

Perpetuum lumen cristum dominumque deumque

Bissenis populos. edocet esse libris.

Hoc Carmen, quod paullo aliter refertur in *Hist. lit. de la France* T. I. P. 2. p. 147. excipit aliud, quod pariter depromptum ex *Venantii Fortunati* L. I. de

*Et quia summus apex fidei, virtutis, honoris
Hilarius famae radios jaculabat in orbem &c.*

Ab hoc carmine: *Incipit Epistola Hylarii Episcopi ad filiam suam Abram. Dilectissime filie Afre* (superfripit *Abre* miniculator) *Hylarius in domino salutem. Accepi litteras tuas &c.* Legitur haec Epistola una cum subjecto *Hymno* matutino (serotinus enim genuinus intercudit) *edit. supracit. col. 1209.* vindicaturque Hilario. *Hymnus* nobis nil ab aliis Codd. mss. varians offert. Adfuta sunt illi laciniae duae. Prima inscripta *De Spiritali Prato* infit: *Quid per pratum bonum curatum. nisi sancta et munda anima &c.* definit: *Si opere terreno Hylarii hic tumulus nitet. quantum ille creditur fulgere in claritate dei.* Alterius titulus est: *Dicamus de balteo castitatis quod exornatur octo margaritis castitatis.* Sex solum modo linearum. Tandem Opus ipsum hac rubrica ingreditur: *Incipit Liber Sancti Hylarii Pontificis De Sancta Trinitate.* finiturque *fol. 115.* hac clausula miniata: *Explicit liber. XII. fidei Hylarii episcopi.* In *edit. supracit.* comparet *col. 765.* variatque hinc inde a Cod. nostro, cujus notitiam Mauriani non habuere. L. II. *fol. 15. p. 2.* habetur Lectio, quam olim *Hincmarus* et *Alcui-*

Vita S. Martini inter *Testimonia* retulit *Petr. Coustantius* in *edit. Paris. Opp. Hilarii. 1693.* f. hoc exordio:

nus contra *Felicem Urgellitanum* euiti sunt: *Ita potestatis dignitas non amittitur. dum carnis humilitas adoratur.* Mallem tamen cum aliis legere *adoptatur*, partim, quia vox haec, hoc in loco, nihil significat aliud, quam *adsumitur*, adeoque fidei nihil officit; partim, quia credibile non est, *Hilarium* eadem expressione continenter *bis* uti voluisse; praecedit enim: *Panni sordent. deus adoratur.*

II. et quidem *fol. 115. p. 2.* *Incipit Liber I. S. Hylarii Episcopi. Ad constantium imperatorem & hereticum.* hoc exordio: *Tempus est loquendi quia iam tempus preterit tacendi. &c.* et pertingit una cum *Addimento*, quod ex L. II. de *Trinitate* sumtum est, et infit: *Pater est ex quo omne quod est consistit &c.* usque ad *fol. 121.* finiturque: *insolenter in dei rebus ignarus.* In *edit. Paris.* hunc Librum habes *col. 1237.*

III. et quidem *fol. 121.* sequitur: *Epistola Sancti Hylarii episcopi Transmissa ad constantium. Benignifica natura tua domine beatissime auguste &c.* Finis: *de se loquitur ipsa sententia.* Epistola haec in *edit. supracit. col. 1217.* inscribitur. *Ad*

Constantium Augustum Liber Primus.

IV. et quidem fol. 122. p. 2. habetur *Liber. II. ejusdem ad eundem. quem & constantinopolim ipsi tradidit.* Parisina col. 1225. *Quem & Constantinopoli eidem ipse tradidit.* Principium: *Non sum nescius piissime imperator &c. Terminus: iuxta ista non dissonans. Explicit Liber. II. Hylarii ad constantium.*

V. et quidem fol. 124. *Incipit liber eiusdem aduersus arrianos uel auxentium mediolanensem. Dilectissimis fratribus in fide paterna manentibus &c.* Sub finem legitur *lucus pro lucus, quod et Constantius contra summum, ut ait, Mss. consensum* recepit. Ultima verba: *christum deum uerum predicabunt. Adhaeret Exemplum Blasphemie Auxentii. Beatissimis et gloriosissimis Imperatoribus ualentimiano & ualenti augustis &c.* In ambigua *Auxentii* confessione de Verbi diuinitate defunt nobis voces *uerum filium.* Hanc et *Hilarii* Librum repraesentat editio *Paris. a col. 1263.*

VI. et quidem a fol. 126. p. 2. habetur *Liber sancti Hylarii pictauiens. episcopi fidei Katholice contra arrianos & preuaricationibus arriani adquiescentibus.* In edit. *suprac. col. 1149. inscribitur: de Synodis seu de Fide Orientalium.* Labet adscribere ingressum, qui in *Mss.* multum variat: *Dominis et Beatissimis Fratribus et Coepiscopis prouincie germanie primae. et germanie secundae. et primae belgicæ. et belgicæ secundae. et lug-*

dunensi primæ. et lugdunensi secundæ. et prouincie aquitanie. et prouincie nouem populane et (ex erasum) narbonensi plebi (bus erasum) et clericis tholosanis. et prouinciarum brittaniarum episcopis &c. Extrema: *opto Fratres karissimi.* Vide et Cod. CCV.

VII. demum et quidem fol. 141. p. 2. occurrit *Prologus in vitam Sancti Hylarii episcopi et confessoris. Domino Sancto et meritis Beatissimo patri pascentio pape. fortunatus. Religiosi pectoris studio sollicitante commonitus &c.* Vita haec II. Libris constans, et in edit. *Paris.* inter *Prolegomena col. CXXVII. exhibita in Cod. nostro* deest. Vide, quae *Constantius* ibi de *Fortunato* et *Pascentio* disputat. Nobis coronidem imponit *Anonymi Sermo in festiuitate Sancti Hylarii episcopi et confessoris, brevis et hujus exordii: Quoniam Dilectissimi sanctorum solempnitates digna memoria celebrare studemus. debemus procul dubio imitari quos colimus. Finis: quatenus cristo largiente. ipsoque pro nobis sancto intercedente mereamur in celestibus digni eius inueniri consortio. In Secula Seculorum Amen.* Sermonem hunc si vidissent *Constantius* et *Bollandus* ad diem XIII. Jan. fortasse *Sermoni Petri Damiani de Translatione B. Hilarii* adjunxissent; *Codex* itaque noster, cum hac de caussa, tum propter lectiones differentes conferri ab eo merebitur, qui novam olim *Operum Hilarii* editionem post *Veronensem* an. 1730. quae mihi

637

P A T R I S T I C I

638

nunc ad manum non est, molietur.

Adhaerent Codici *Folia duo* vetusti *Necrologii* a XVI. Kal. Febr. ad X. Kal. Mart. Praecipua, quae in iis notantur, Nomina sunt:

XV. Kal. Febr. *Willelhelmus* (de Champeaux) *cathalensis* (Chalons sur Marne) *Episcopus* ✠

1121.

XII. Kal. *Dominus Richardus abbas de locedio*. (Loc-five Lieu dieu) Duplex in *Gallia christ.* hujus nominis *Virorum Ord.*

Cist. inuenio Coenobium: unum Dioeceseos Remensis et in eo Abbatem *Richardum* ad. an.

11265. sed nimis hic recens videtur. Alterum in Dioecesi Ruthenensi fundatum an. 1123.

Nullus tamen hic in Abbatum ferie *Richardus* adparet.

Rainaldus Comes Burgundie ✠

1148. IX. Kal. *Gaufridus Episcopus Carnotensis* ✠ 1149.

VIII. Kal. *Marbarius strigonienfis episcopus*. In *Specim. Hierarch. Hung.* Cl. Praji P. I. occurrit

inter annos 1156 — 58. sed *Martirius* audit.

VII. Kal. *Dominus Albericus abbas cisterciensis* ✠ 1109.

V. Id. Febr. *Conradus archiepiscopus salzburgerfis* ✠ 1147.

Prid. Id. *Engilbertus dux carinthie*, Comes in Spanheim et Ortenburg ✠ 1147.

XVII. Kal. Mart. *Gertrudis regina Sicul.* *Conradi III. uxor.* ✠ 1166.

Ex his verosimile fit, *Necrologium* istud olim in *Gallia* coeptum postea nostris in oris continuatum fuisse, idque fortasse in Coenobio *Gottvicensi O. S. B. infer. Austriae*, quo Codex hic noster totus olim pertinuit.

CCIV. VI. C. 14

Codex membraneus lat. Sec. 14^o

XIII. Folior. 110. f. per duas columnas bene scriptus, rubricis distinctus et probae notae exhibet *S. Hilarii Pictaviensis Episcopi* Seculi IV. Scriptoris *Opera* et quidem I. *Elogium Hilarii* et *Carmen duplex*, prout indicatum est *Cod. praeced.* In priore tamen carmine variant sequentia: *Si hylarium. pictavis hunc genitum. In patre quique potens. Cupiens calcare prophanus.* Carmina excipit, ut ibi, *Epistola Hilarii ad filiam Afram*, in qua n. 3. pro *Maurianae* edit. *Spartum* legitur *textum.* *Hymnus matutinus* paene nil ab editis differens. Denique *Lacinae* illae *duae*, ut in *Cod. supracit.* sed hic *ἀκεφαλοι*, et initio pro *pratum bonum* habetur *ornatum bonum.*

II. fol. 2. p. 2. litera miniata quadra *Incipit Liber Sancti Hilarii De Sancta Trinitate.* Edit. *Maur. col. 765.* Lectio fat castigata est, Librique omnes XII. uti Primus, inscribuntur. L. II. nobis fol. 13. p. 2. legitur, ut in editis: *ita potestatis dignitas non amittitur. dum carnis humilitas adoratur.* L. IV. in edit. n. 33. locus

cus